



XXXII. Hic tandem videmus Commendarum usum inuitu certarum personarum, ac sub certis quibusdam modis conditionibus permitti aut saltem tolerari; earumque concessio- nem iudicio Sedis Apostolicae reservari; unde & post hoc Concilium usus Commendarum per Italiam sine ulla interruptione usque modo subsistit.

XXXIII. At in Concordatis inter illum eundem Pontificem & Franciscum I. anno 1515. initis, ipse Commendarum usus plane sublatus apparet.

In his enim cavetur, quod Rex vacatione Monasterii occurrente, Religiosum ejusdem Ordinis in aetate 23. annorum ad minus constitutum Sedi Apostolicae nominare teneatur, quod si Rex nominaret Presbyterum saecularem, aut Religiosum alterius Ordinis, tunc Pontifex aliquem nominare possit: quod ipsas commendas palam excludit. Nam si Pontifex Clericum saecularem in Abbate aut Priorem institueret, qua specie, nominationem Regiam respiceret eo solo titulo, quod Presbyterum saecularem nominasset? Quin ipsum Concordatum expresse declarat, quod casu quo, libera collatio ad Pontificem spectare contingeret, provisi qualitates ante expressas habere debeant in verbis: Prioratus vero personis non refertur qualis sit dumtaxat conferri liberè possint.

Deinde pro maiore praecavendo robore subicit Pontifex: "Electio nes autem nec non provisiones per nos & successores nostros contra praemissas pro tempore factas; nullas, irritas & manes esse decernimus.

XXXIV. Verum quia Concordatum hoc Regem inter & Pontificem sine Sedem Apostolicam dumtaxat initum est, etiam utriusque consensu ab eo recedi nihil vetat. Unde etiam post hoc Concordatum, usus Commendarum in Regno Galliae usque modo perdurat; atque Rex ad plerasque Abbatis & Prioratus Clericos saeculares in Commendatarios perpetuos nominat & Papae praesentat; quibus Papa Commendas annuendo, a concordato communi consensu recedi videtur; & nunc longo temporis usu quodammodo videtur recessum.

Et quidem Rebuffus quadraginta circiter annis post datum Concordatum, commendatum quidem abusus late describit, eas tamen in Gallia & Italia communitè receptas supponit ac styli in eorum collatione servare solitum exponit.

XXXV. Quin & Commendarum usum tam firmiter stabilivit & profundas radices egisse viderunt Episcopi Gallicani etiam post Concilium Tridentinum, ut de eorum totali abolitione desperarent, unice propterea solliciti, dum totaliter aboleri non possent, saltem abusus, quantum possibile esset, rescinderentur.

"Nihil nisi desiderium nobis superest inquirunt Patres Concilii Remensis anno 1583. Tit. De Regularibus: ] ut Abbatia Prioratusque non nisi Regularibus spectata virtutis & per electionem conferantur. Quod a Deo optimo maximo supplicibus votis contendimus, ut ad id excitatus, te dignetur Dominos nostros Sanctissimi Rom. Pontificem, & Regem nostrum Christianissimum.

Quae pro bono usu Commendarum Synodi praescripserint mox dicentur, si ante disciplinam modernam, praesertim Regni Galliae, circa Commendas & Commendatarios Monasteriorum expressis sit.

XXXVI. Ita que tam in Gallia, quam in Italia commendatum usum usque modo quoad Abbatis & Prioratus Conventuales, quibus Abbates & Priores perpetui Regulares aliis praefici solebant, perdurat; si ea sola penè exceperis, quae Ordinum Capita sunt; idque ob Decretum Concilii Tridentini Sess. 25. c. 21. De Refor. quoad modum observat Fagnanus ad Cap. CUM AD NOSTRAM De Elect.

Creditum enim fuit, quod Concilium in priora parte, ubi de Monasteriis inferioribus agit non loquatur praecipue, sed consultive: eo quod utatur verbo confidit. At in posteriore parte agens de Capitibus Ordinum, loquatur praecipue utendo verbo tenentur.

Quidquid sit de hac Concilii interpretatione, illud certum est, Quod Romani Pontifices qui pleraque Monasteria S. Benedicti & Cisterciensis Ordinis [ubi ibidem refert Fagnanus] de cetero in commendam saecularibus Clericis, non

commendaverint Monasterium Cassinense, quod est caput illius Congregationis: nec Monasterium Cisterci, quod est caput Ordinis Cisterciensis.

XXXVII. Porro commenda juxta hodiernum stylium & praxim multum a commendis antiquis cognitis, & a Sacris Canonibus jam pridem probatis distant.

Commenda enim antiqua concedebatur principaliter in favorem Ecclesiarum, ut scilicet, Ecclesia Pastore viduata interea de Rectore esset provisorum: commenda vero nostri temporis, ait Fagnanus, sunt principaliter non in favorem Ecclesiae, sed personarum, ut ex fructibus sustentari valeat. Quapropter ubi olim in concessionis diplomate causa his verbis reddebatur: Ut Ecclesia interea recte atque ordine administraretur, eam vobis commendamus; hodie hoc tenore exprimitur: ut commodius sustentari valeas, de alicujus subventionis auxilio providere cupientes, tale Monasterium auctoritate Apostolica concedimus & commendamus &c.

XXXVIII. Pristinam commendam tantum erant ad tempus, pro tempore nimirum vacationis, quemadmodum hodie solent esse de servituro Ecclesiarum specialium vacantium: hodierna vero perpetua sunt; id est, ad vitam Commendatarii juxta clausulam diplomatis: Per te quamdiu vixeris tenendum & possidendum.

XXXIX. Commendatarii ad exemplum doctorum Deservitorum olim non poterant de fructibus Ecclesiae commendatae disponere; nec praeter moderata alimenta quidquam percipiebant: at moderni liberè de proventibus Beneficii Commendatarii adinstar veri Beneficiarii & Titularis disponunt juxta consuetam formulam diplomatis Pontificii: Ita quod durante commenda hujusmodi de fructibus, redditibus & proventibus Monasterii disponere & ordinare valeas, sicuti veri Abbates aut Priores ipsius Monasterii qui fuerunt pro tempore ordinare potuerunt, & etiam debuerunt; alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mobilium ipsius Monasterii tibi penitus interdicitur.

Hinc hodie Commendatarius potest praesentare ad Beneficiam eligere & conferre (ait Rebuffus in Praxi Benefic. Tit. de Commenda) sicut alius qui titulum habet, quia praesentate, eligere & conferre est fructus Beneficii.

"Locare etiam potest fructus, ait Rebuffus, & possessiones, sicut habens titulum." Uno verbo, moderni Commendatarii quoad perceptionem fructuum eorumque administrationem sunt per omnia similes veris titularibus.

XL. Quin & Commendatarii hodie pro veris Titularibus habentur [ait Fagnanus ad Cap. IN ECCLESIIIS De Capellis Monach. nu. 5.] tam in Gallia, quam extra, & juxta omnia de Abbatis & Prioribus loquencia habent etiam locum in hisce Commendatariis.

Commenda quoque rationem veri tituli habet; & pro titulo reputatur.

XLI. Cum ergo Clerici saeculares de jure Beneficium Regulare in titulum possidere nequeant juxta Regulam Regularium Regularibus; & tamen Commenda perpetua pro titulo reputatur, totus Papa similem Commendam dispensative concedere potest; unde juxta Canonistas commenda hodierna est provisio Papae dispensativa & via providendi per commendam dicitur extra ordinaria & dispensativa.

Ut tamen jura aliquatenus servari viderentur, Papa Clericis saecularibus in Commendam dare mavult Beneficia Regularia, quam in titulum.

XLII. Hinc ulterius contingit, quod licet olim Commenda adinstar hodiernae de servituro, permittari cum alio Beneficio non possent, hodie tamen non secus ac verum Beneficium cum alio Beneficio permittari possit: quia ait Rebuffus loco citato n. 53. reputamus Commendam verum titulum, & sic permittari potest. Unde saepius vidi Beneficium commendatum permittari cum alio in titulum, etiam coram Ordinario. Hec ille: qui ibidem nu. 51. quoque observat, quod in Francia per mortem Commendatarii impetretur vacans Beneficium, sicut si tenuisset in titulum.

XLIII. Cum vero juxta Canonistas, mutatio tituli semel collati non fiat sine nova collatione, hinc praxis Galliae habet, quod si Commendatarius profiteatur in Monasterio ejus

est Commendatarius, illud Beneficium quod habeat in commendam, sine nova provisione non transeat in titulum; neque illud tamquam regulare retinere queat; sed Beneficium vacare censetur, non secus ac si saecularis Clericus obtinens Beneficium in titulum, professionem Regularem emisisset; & tamquam vacans, mox a professione Commendatarii de novo possit conferri, ut post Lovetium tradit Fevretius lib. 6. de Abusu cap. 6. num. 25.

XLIV. Ulterius Commendatarius Monasterii perpetuus licet non sit professus Regulam Ordinis, cujus est Monasterium, habet tamen (ait Antonius Faber in Cod. lib. 1. tit. 2. de fin. 34.) in Monachos eandem jurisdictionem, quam haberet si ex vero titulo Beneficium possideret: quia pro vero Praelato & Titulario habetur, etiam quod ad hoc, quando quidem commenda ipsa est in usus dispensatio; nec inter Commendatarios & Titularium Ecclesiae Rectorem effectu ipso quidquam interest, sed nominis tantum, sicut. Hec ille, qui & ibidem asserit Commendatarium posse jurisdictionem in Monachos exercere, tamen in eodem Monasterio sit aliquis ex Monachis Prior Claustralis; quin & Priorem illum ad nutum Commendatarii esse amovibilem: testaturque anno 1591. in Senatu Subauidia pro Abbate Ambronicensi Commendatario, qui jurisdictione sua in Monachos usus fuerat ad mortum correctionem, judicatum fuisse contra Monachos, qui ab illa correctione tamquam ab abusu appellaverant ad Senatum; ac rursus anno 1617. contra eosdem Monachos: hoc tamen, ait, adhibito exquisitissimo temperamento, ut non aliter jurisdictionem hanc exercere possent Commendatarius, quam si in Beneficio ipse retineret, & ordinarius Praelatus ejus Vicarius abesset, cujus sane jurisdictionem praecipuum conservari & salvam esse conveniunt ut Commendatarii jurisdictione tantum subsidiaria esse videatur.

XLV. Haec vero ampla potestas seu jurisdictio in Monachos de moribus Galliae Abbatibus Commendatariis, exceptis solis Cardinalibus, non competit, sed omnis jurisdictio & correctio, ac omnia disciplina interior Monasterii spectantia ad Priorem Claustralem spectant; nec iis Abbas Commendatarius se immiscere potest, uti saepius a Senatu Regio conformiter ad art. 11. Decretum Aurelianensium judicatum fuisse, refert Joannes Torner Lit. A. n. 9. ipsaq; Novitorum ad habitum & professionem recepto, ad Priorem Claustralem, non ad Commendatarium spectat; neque Priorem illum Commendatarius removere potest; alioquin, ait Torner, Abbas Commendatarius semper revocaret Priorem utilem Monasterio, quod non esset ferendum.

Quinimo si Commendatarius obnuivisset indultum a Sede Apostolica cognoscendi de disciplina Regulari, esset locus appellationi tamquam ab abusu ab executione hujusmodi rescripti, inquit Fevretius loco citato num. 26.

XLVI. Refert insuper Fagnanus ad Cap. EDOCERI de Rescriptis. Breve Innocentii X. quo ad instantiam Generalis Ordinis Cisterciensis statuitur, non licere Commendatariis, Priores Superiores aut Officiales Claustrales instituire, ac destituere, visitare Monachos, eosdemque corrigere, nec facultates eisdem in literis Apostolicis [scilicet provisionis Commendarum] concessas & expressas, ad ea quae institutum regulare concernunt, ac tenore praesentium privilegiorum, & sacri Concilii dispositione Monastico regimini relinquuntur, trahi posse, ac debere. Hec in illo Breve quod ibidem integrum refertur, additque Fagnanus: "Similes litterae expedite fuerunt pro Monachis Camaldulensibus sub die 20. Martii 1657.

XLVII. Ut vero Monasterium non destituatur convenienti numero Monachorum, neque divinum servitium intermittatur; hospitalitas ac consuetas elemosynae non negligantur; nec Monasterii fabrica collabatur, in literis Commendatarium adici solet haec clausula: "Volumus autem quod propter hujusmodi commendam divinus cultus, ac solitus Monachorum & ministrorum numerus, in dicto Monasterio non nullatenus minuat: sed illius ac dilectorum filiorum conventus ejusdem congrue sustententur onera consueta &c.

XLVIII. Deinde juxta Decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. supra relatam, inungitur Commendatariis, etiam Cardinalibus, ut si mensam haberint separatam a Conventuali, quartam suae mensae, alias certam partem omnium proventuum Monasterii, impartiri teneantur pro instauratione fabricae, seu pro ornamentis, vestibus, & paramentis emendis faciendisque, aut pauperum alimoniam aut sustentatione, ut magis exiget aut luadebit nece sitas.

Haec latius referuntur a Rebuffo loco citato, qui & n. 18. sic concludit: "Ex his constat Papam velle, ut cultus divinus non diminuat, & onera consueta solvantur: ut patet in litteris commendae." Sed, ait, nihil sit a multis. Ostendens, quod ratione istarum commendarum, Monasteria tam in spiritualibus, quam temporalibus profus collabantur; quia extranei, ait, qui istas Abbatis possident, nisi lac laciam quarunt, sed est utilitatem.

XLIX. Porro Gregorius XIII. in sua Constitutione qua incipit Super na 18. in Bull. Redta pro Ordine Cisterciensi, ut securius ipsis Monachis ac Monasterio de proventibus annuis cautum cit. §. 9. statuit, ut in Monasteriis omnibus commendatis vel commendandis, ubi non fuerit instituta, tur mensa Conventualis ab Abbati mensa distincta & separata, cum annuis fructibus, redditibus, & proventibus, juxta Monasteriorum ipsorum facultates competentes, & honestis, pro sufficienti Conventus & Monachorum, aliorumque Religiosorum ejusdem Ordinis numero in unoquoque, ex ipsis Monasteriis per ipsos Generalem, & ceteros Ordinis ipsius Superiores, aut eorum Vicarios ordinando, quam quidem mensam quia etiam ad difficultatem, & locorum ad disciplinam monasticam observationem pertinentium scilicet templorum, ornamentorum, praesentium, librorum Ecclesiasticorum, dormitorii, refectorii, aliorumque locorum regularium, haec non Monasteriorum clausurae necessitas, & ordinarii reparationibus, faciendis obligata & obstricta esse volumus, ut in ea instituta expensarum annuatim ad haec necessarium ratio habeatur, statuimus, & mandamus, ac ad eandem mensam sic instituentiam, congruosque redditus assignandos ipsi Commendatarii omnino teneantur, & ad id etiam per censuras Ecclesiasticas, fructuum, reddituum, & proventuum sequestrationes, & alia opportuna iuris remedia cogi possint, & debeant.

L. In Concilio Rothomagensi anni 1518. orta est difficultas, an Abbates Commendatarii in Synodis Provincialibus recipendi essent inter Abbates ad sedendum & deliberandum: item inter dignitates ac Procuratores Capitularum Cathedralium contra Abbates Regulares & Commendatarios de praesentia in processione sessione, & deliberatione. Difficultatibus ad Sedem Apostolicam delatis, ac ad eadem responsum est. Quoad primam, Commendatarios inter Abbates recipiendos esse. Ad secundam, Canonicos Cathedralium Ecclesiarum praefereandos esse, quando capitulariter procedunt: Abbates benedictos, qui usum mitrae habent, praecedere Commendatarios: post hos locum obtinere dignitates, & post dignitates collocandos esse Procuratores.

LI. Eadem Synodus expendens, Commendatarios quodammodo in locum Regularium succedere, atque proventus Monasteriorum tamquam beneficiatos & Ecclesiae ministros percipere, eosdem monet: Ut quamvis ad Regularem observantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo, atque omni Regula, decet eos medium statum atque ordinem sequi ac ostendere inter regulares & saeculares Clericos in vestitu, in victu, & in omni ornatu. Tonsura utantur amphiori quam Sacerdotali, habitu propius ad regularem accedente; nec existiment sibi commendatum Monasterium regimen ad luxum & prodigalitatem, aut ad agendum rem suam & consanguineorum familiarum, sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quantum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem.

LII. Sub finem saeculi 15. via sterni videbatur, ut & in Belgio Commendarum usus introduceretur. Quod advertens Theodoricus Abbas Parthenis totius Ordinis Praemon-